

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN
COLLECTANEA
A D
BOTANICAM, CHEMIAM,
ET
HISTORIAM NATURALEM,
SPECTANTIA,
CUM FIGURIS.
VOL. III.



VINDOBONÆ,
Ex OFFICINA WAPPLERIANA. 1789.

venis cum Epidendro secundo, sed floribus non secundis & structura diversis differt.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix simplex.

COR. Petala quinque, lanceolata, acuta, patula; quorum duo interiora basi magis angustata.

Nectarii labium inferius triphyllum: foliolo medio bifido; hujus lobis & foliolis lateralibus æqualibus, inverse deltoideis, ora superiore ciliato-dentatis, planis, patentissimis, corolla paulo longioribus. Labium superius nullum.

STAM. Filamenta duo, inserta summæ parti styli. Antheræ in quolibet filamento geminæ, obverse ovatæ, compresso-planæ, reconditæ in cucullo ovato scarioso & quadriloculari, incubente stylo ad marginem stigmatis.

PIST. Germen inferum, teres, striatum, corolla longius. Stylus cylindricus. Stigma infundibuliforme.

PER. Capsula oblonga, unilocularis, trivalvis.

SEM. numerosa, scobiformia.

CCCLXXXIX.

ZAMIA INTEGRIFOLIA. Ait. kew. pag. 478.

Zamia pumila. Linn. syst. pag. 926. exclusis omnibus synonymis.

Crescit in Florida orientali, inque Domingo. In caldariis nostris florent plures individuæ plantæ tam diverso tempore, ut hoc determinari

K k 3

ne-

nequeat. Spadix fœmineus fere annum impendit ab ortu ad fructuum maturationem. Dioica est. Radix fusca, pugnum & ultra crassa, in crura plura ramosa longaque dividitur; hinc affurgit in caput conicum, fuscum, pugni vel & duplo majore tandem crassitie, compositum ex squamis latis, acuminatis, saepe ora laceris. Folia sunt plura, sesquipedalia & ultra, glabra, pinnata. Stipes teres, calatum fere crassus, antice sulcatus, intermis. Pinnae utrinque septem vel plures, alternæ, subseffiles, basi cartilaginea stipiti affixa, subcuneiformes, obtusa, coriaceæ, rigidulæ, subtilissime striatulæ, superne obsolete cartilagineo-serrulatae, cæterum integrimæ, a quatuor ad sex uncias longæ. Scapus in maribus unus alterve ex superiori parte trunci, erectus, teres, sericeo-villosum, calatum crassus, uncialis, ferrugineus, bracteis sparsis patentibus rigidis crassis villosis oblongis acutisque vestitus. Spadix duas tresve uncias longus, foris ferrugineus & tomentosus. In fœminis scapus etiam unus alterve, biuncialis, digitum crassus, bracteis destitutus, ferrugineus, sericeo-villosum. Spadix quatuor vel quinque uncias longus, fuscuncialis diametri, ferrugineus, mollis. Antheræ, pollens & germen sunt alba. Drupa rubra cum pulpa pauca dulci. Nux albida.

Mas.

Cal. Spadix oblongus, teres, simplex; compositus ex scutis late subrotundis, numerosis, pedicello incrassato horizontaliter spadici dense affixis, subtus concavis, ad oras valde incrassatis, subtus utrinque antheriferis.

Cox. nulla.

STAM.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ subrotundæ, sessiles, aggregatæ, numerosæ, uniloculares, perpendiculariter bivalves, persistentes. Pollen minutissimum, subrotundum.

Fœmina.

CAL. Spadix oblongus, acuminatus, simplex, teres; compositus ex scutis numerosis (plerumque ex octo seriebus longitudinalibus) hexagonis cum disco magis elevatulo etiam hexagono, horizontaliter spadici affixæ ope pedicelli crassi & tetragoni.

COR. nulla.

PIST. Germina ovata, obtusa, nitida, duo utriq[ue] lateri scuti subtus affixa. Stylus subulatus, erectus, brevissimus. Stigma simplex.

PER. Drupa ovata, obtusa, a compressione vicinorum angulata, nitida.

SEM. Nux ovata, obtusa, unilocularis, nucleo foeta simili.

REC. Spadix ovatus, scutis patulis.

CCCXC.

ZAMIA ANGUSTIFOLIA.

Semina ex insulis Bahamensis transmissa fuerunt, ex quibus enatæ numerosæ plantæ, quarto ætatis anno jam flores fructumque dederunt, aliæ mere fœmineæ, aliæ masculinæ. Radix fusiformis, semipedem longa, uncialis & ultra diametri fibris crassis fragilibusque aucta, superne abit in caput conicum, duas tresve uncias altum, septimo ætatis anno pugnum crassitie jani æquans, squamis latis acuminatis imbricatis erectis villosisque vestitum. Novella folia, filicum more, subulam apice incurvatam referrunt, ferrugineam & scabriuscum. Ipsa adulta folia sunt tota glabra, nitida,

da, inermia, erectiuscula, firma & abrupte pinnata. Stipes est teres, tantum antice superne leviter sulcatus, calamo duplo gracilior, inferne aphyllus, a dimidio ad quatuor pedes altus. Foliola utrinque a quatuor ad viginti, linearia, plus minus semipedalia, vix tres lineas lata, obtusa, plerumque alterna, etiam opposita, plana, crassula, patentissima, subtilissime striatula, basibus albidis dilatatis subsessilia, integerima, ad lentem terminata apice tribus papillis cartilagineis inæquali. Scapus unus alterve ex summitate trunci egreditur, basi stipatus squamis linearis-lanceolatis acuminatisque, teres, rufus, asper, erectus, quadriuncialis, terminatus in spadicem in maribus masculinum, in foeminitate foemineum. Florendi tempus in caldariis nostris non semper unum idemque est. Ut plurimum tamen spadices masculini prodeunt mense Octobri, lente increscant ad Majum vel Junium usque, quando secedentibus ab invicem scutis antheræ in conspectum veniunt; nec ultra tunc mensem persistant, quin marcescant. Spadices foeminei etiam sere octo menses exigunt, priusquam fructus matuerescant. Maturitas secessu & exsiccatione scutorum cognoscitur, dum immaturus spadix semper clausus est. Color totius fructificationis ut in præcedente Zamia integrifolia est; quin ipsa etiam structura tam similis, ut descriptionem superfluam reddat. Diu frustra in antheris utriusque hujusc plantæ quaesiveram pollinem; nec deerat quaerendi occasio in tanto numero individuarum, toties florentium, quæ in horto Cæsareo Schönbrunnensi coluntur. Tandem inveni, dum antheras examinabam, maturitati proximas quidem, sed clausas adhucdum, nec dehiscentes. Vidi tunc, pollinem formare columnam, ex basi antheræ assurgentem, & a parietibus ejusdem liberam, totamque hanc excidere ad antheram leviter motam. Suspicor hinc, pollinem, quem vocat Linnæus in genere Cycas, esse veras antheras polline excusso destitutas. Nunc etiam lego in Horto kewen-

ii,

si, duas dari hujus generis species; ut monere debeam, in Actis Helveticis me loqui de *revoluta*.

CCCXCI.

IXIA BULBOCODIUM. *Linn. spec. plant. pag. 51. num. 1. Ait. kew.*

i. pag. 57.

Bulbocodium crocifolium, flore magno albo fundo luteo. *Tourn. cor.*
pag. 50.

Crocus vernus angustifolius quartus. *Clus. hist. pag. 208.*

Sisyrinchium asprenseum, angusto folio, alterum. *Col. ecphr. 2. pag. 5.*
tab. 7. fig. 1.

Sisyrinchium minus angustifolium, flore majore variegato. *Bauh. pin.*
pag. 41.

Autores, quos citavi, omnes loquuntur de planta europaea, in Italia crescente. Detectam dein plantam capensem; huic valde similem, Linnæus vocavit in Systematis sui editione tertia & decima Ixiām roseā, separavitque a priore. In decima quarta editione capensem cum europaea coniunxit ceu meras varietates. Idem facit Thunbergius. At iterum in Horto kewensi disjungit Aitonius, qui procul dubio vivam vidi utramque. Mihi capensem videre haud contigit. Europaeam, quam describam, invenit expertissimus Nicolaus Host, in collibus herbidis & aridis circa Flumen ad mare Adriaticum copiose crescentem, qui bulbos recentes benevolē plurimos mecum communicavit. In loco natali floret Februario, & ad finem Martii fructum perficit. Bulbus subrotundus, bulbillo emarcido